

¹Ratiō vērō in hōc ūniversālīter studet : ut suādeat, certīsque vērītātis investigātiōnibus, approbet nīl dē Deō propriē posse dīcī — quoniam superat omnem intellēctum, omnēsque sēnsibilēs intelligibilēsque sīgnificātiōnēs. ²Quī melius nesciendō scītur ; cūjus ignōrantia vērā est sapientia ; quī vērīus fidēliusque negātur in omnibus, quam affirmātur. ³Quodcunque enim dē ipsō negāveris, vērē negābis. ⁴Nōn autem omne, quodcunque firmāveris, vērē firmābis. ⁵Sīquidem sī approbāveris hoc vel hoc illum esse, falsitātis redargueris, quia omnium quæ sunt, quæ dīcī vel intelligī possunt, nihil est.

¹Sī vērō prōnūntiāveris nec hoc nec illud nec ūllum ille est, vērāx esse vidēberis, quia nihil hōrum quæ sunt et quæ nōn sunt est. ²Ad quem nēmō potest accēdere, nisi prius corrōborātō mentis itinere sēnsūs omnēs dēserat, et intellēctuālēs operātiōnēs, et sēnsibilia, et omne quod est et quod nōn est, et ad ūnitātem, ut possibile est, īncius restituātur ipsīus, quī est super omnem essentiam et intelligentiam. ³Cūjus neque ratiō est, neque intelligentia ; neque dīcitur, neque intelligitur, neque nōmen ējus est, neque verbum.

¹Nōn autem irratiōnābiliter, ut sæpe dīximus, omnia quæ ā summō usque deorsum sunt, dē eō dīcī possunt quādam similitūdine, aut dissimilitūdine, aut contrārietāte, aut oppositiōne, quoniam ab ipsō omnia sunt, quæ dē eō prædicārī possunt. ²Nōn autem similia sibi solummodo condidit, sed et jam dissimilia, quoniam ipse similis est et dissimilis. ³Contrāriōrum quoque causa est. ⁴Virtūte sīquidem eōrum quæ vērē ab eō condita sunt, ea etiam quæ contrāria videntur esse, et per prīvātiōnem essentiæ nōn sunt, vērā ratiō continērī approbat.

¹Nūllum enim vitium invenītur, quod nōn sit alicūjus virtūtis umbra, aut quādam fallācī similitūdine, aut apertā contrārietāte : similitūdine quidem, ut superbia vērā potentiæ umbram gerit, luxuria quiētis, furor fortitudinis, īra corrēctiōnis iūstitiæque, et similia ; contrārietāte vērō, ut malitia bonitātis. ²Quemadmodum enim bonitās ex nōn existentibus existentia dūcit, ut sint ; ita malitia appetit corrumpere omnia quæ sunt, et penitus solvere, ut nōn sint. ³Et sī hoc esset — id est, sī omnia perīrent — simul et ipsa perīret. ⁴Nam sī perīret nātūra, perīret simul et vitium. ⁵Sed virtūte bonitātis omnis nātūra continētur nē pereat.

¹Adhūc tamen malitia permittitur in eā vidēlicet nātūrā, ad laudem bonitātis ex contrāriō comparātiōne ; et exercitātiōnem virtūtum, ratiōnābilī operātiōne, et pūrgātiōnem ipsīus nātūræ — quandō *absorbēbitur mors in victoriā*, et sōla bonitās in omnibus et appārēbit, et rēgnābit, et ūniversālīter est peritūra malitia. ²Sed dē hīs in quīntō lātius disputābitur. ³Nūlla itaque auctōritās tē terreat ab hīs quæ rēctæ contemplātiōnis ratiōnābilis suāsiō ēdocet. ⁴Vērā enim auctōritās rēctæ ratiōnī nōn obsistit, neque rēctā ratiō vērā auctōritātī. ⁵Ambō sīquidem ex ūnō fonte, dīvīnā vidēlicet sapientiā, mānāre dubium nōn est.